



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





COLLEGII TERTII  
In Augustanani Confessionem  
DISPUTATIO XV.

continens  
ANTIΘΕΣΙΝ ARTICVLI VII.  
DE PRIMA QUÆSTIONE  
*à Becano mota.*

An Ecclesia Christi,  
quam militantem vocamus,  
sit visibilis & conspicua,  
*Proposita.*

In Electorali Academia VVittebergenli,

PRÆSIDE

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

GEORGIO FABRICIO Magdeburgensi.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 4. Julii.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX.



COLLEGIUM TERTIUM  
In Augustanum Confessionem

DISPUTATIO XN.

CONTINENS

ARTICULOS ARTICULI VII.

DE PRIMAE QUAESTIONIS

ARTICULO

Ante Ecclesiam Christi

quam multum in vocamus

in vitiis & conspectu

in Blechfeldi Academia Vitebergensi

PARTE II

JACOBO MARTINI S. Th.

Doc. & Prof. Publ. Humanior. Facult. Theol.

in Blechfeldi Academia Vitebergensi

REGIO FABRICIO Magdeburgensi

in Blechfeldi Academia Vitebergensi

Typis SALOMONIS AMERBACHII

ANNO MDCCLX







D. O. M. A.

*Continuatio.*



**E**Xplicatâ haectenus Thesi hujus nostri Articuli VII. consequens est, ut, quæ in Antithesi à falsis Doctoribus proponuntur, & nobis opponuntur, videamus. Diximus autem disp. 12. th. 14. videri Articulum hunc soli Papatui oppositum, utpote variè tunc Confessoribus cum Papatu controversum. Quocirca cum controversias, à Pontificiis contra nos de fide motas, hac vice ex Becano cum primis repetere, & examinare animus sit; utique nos ad illa, quæ in sui Manualis lib. 1. parte 3. & 4. de Ecclesia & ejus Capite disputat, Spiritus sancti gratiâ nobis assistente, adducemus, resolvemus, & pro re nata refutabimus.

**T H E S I S I.**

Quæ ergo totâ Manualis sui parte sive capite tertio libri 1. de Ecclesia disputaturus sit Becanus, statim in Proœmio his promittit verbis: *Tria disputari solent inter nos & adversarios. 1. An Ecclesia Christi, quæ in terris est, sit visibilis & conspicua? 2. An sit infallibilis, ita ut in fide errare non possit? 3. Quenam sit vera Christi Ecclesia, quæ in fide errare non potest? An Catholica seu Romana, quod nos asserimus; An Lutherana vel Calviniana, quod adversarii contendunt? Decisio harum questionum petenda est ex his conclusionibus. 1. Ecclesia Christi est visibilis & conspicua. 2. Hac visibilis Ecclesia est una, Sancta, Catholica, Apostolica, sponsa Christi, Domus Dei, columna & firmamentum veritatis. 3. Extra hanc visibi-*





lem Ecclesiam nemo potest salvari. 4. Hac visibilis Ecclesia non potest deficere, vel errare in fide. 5. Ecclesia Romana seu Pontificia toto orbe dispersa est visibilis Ecclesia Christi, de qua haecenus dictum est. 6. Ecclesia Lutherana aut Calvinistica, non est vera Christi Ecclesia, de qua dictum est. Has conclusiones sigillatim explicabo.

II. Primam ergo conclusionem sic repetit & format Becanus: Ecclesia Christi, quam militantem vocamus, visibilis & conspicua est. Et addit §. 1. Hanc concedunt praecipui adversarii, praesertim Calvinus lib. 4. inst. cap. 1. §. 4. Ubi ex professo disputat de Ecclesia visibili, & Philippus Melancthon in Examine ordinandorum, titulo de Ecclesia, ubi sic ait: Ecclesia visibilis in hac vita est cœtus visibilis, amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, & rectè utentium Sacramentis, in quo cœtu Filius Dei efficax est, & multos regenerat ad vitam æternam.

III. Respondemus Statum controversiæ malè formari à Becano. Nam dari Ecclesiam visibilem, nunquam à nobis, invisibilem Ecclesiam asserentibus, est negatum. Quid? quòd Augustana nostra Confessio propriè loquatur, & agat de Ecclesia vera, ut est visibilis: sed hoc in quaestione est, Annon diverso respectu Ecclesia rectè distinguatur in visibilem & invisibilem; Hoc est, quod cum Lutero docemus, & contra Pontificios urgemus, imò ipsimet Jesuitæ evidentiâ veritatis convicti negare non possunt. Sic enim Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante cap. 15. Ad sextum: Posset dici, in Symbolo non poni tantum, credo Ecclesiam, sed credo sanctam Ecclesiam. Porro Sanctitatem Ecclesia sine dubio invisibilem esse. Sed melius dico, in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quòd ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Vera enim Ecclesia est, qua profitetur Christi fidem. Quis autem evidenter scit nostram fidem esse, Christi? Id quidem firmâ ac certissimâ fide credimus: sed aliud est credere, & aliud videre: imò ipsum credere definitur ab Apostolo argumentum non apparentium. Idem quoque probat paulò post Becanus in hujus ipsius tractatus capite tertio §. 6. Ut mox videbimus & audiemus. Quid ergo contra nos disputant?



IV. Per invisibilem enim Ecclesiam & nos solos intelligimus Electos: quorum tum Electio ipsa est invisibilis, tum fides sensibus percipi non potest; sed ut Apostolus loquitur, qui in occulto sunt, & quorum professio non est in litera, sed in Spiritu, Rom. 2. v. 29. Et hoc sensu ac respectu Ecclesiam invisibilem definimus, quod sit cœtus verè fidelium & prædestinatorum ad vitam æternam. Eamq; Cyprianus lib. 2. Epist. 3. vocat cœtum Christo credentium, cui per fidem copulantur: Et Chrysostomus serm. 10. in cap. 4. ad Ephes. *ex animabus nostris constructam domum, quam Deus adificavit in ipso summo angulari lapide Christo Jesu*: Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromat. *Congregationem Electorum*: Lactantius lib. 4. cap. 13. de vera sapientiâ, *verum Templum Dei, quod non in parietibus est, sed in corde & fide hominum, qui credunt in eum, ac vocantur fideles*. Et Origenes hom. 3. in Jerem. in principio: *Thesaurus Dei, inquit, est Ecclesia ejus, & in isto Thesaurò h. e. Ecclesiâ sæpe homines latitant*. Sic Augustinus Epist. 48. ad Vincentium: *Ecclesiâ, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur scandolorum multitudine*. Epist. 80. *Quando Ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus, ultra modum sevientibus, & remoto timore, tanquam arridente mundi felicitate, dicentibus pax & securitas: Tunc stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: quoniam multi, qui gratiâ fulgere videbantur, persecutoribus cedent & cadent; & quidem fideles firmissimi turbabuntur*. Et rursus Chrysostomus hom. 49. in Matthæum: *Tempore Antichristi fideles latentes erunt in locis quibusdam securioribus, Deo eos abscondente*.

V. Philippum Melanchthonem quod attinet; non dicit vel docet ille, Ecclesiam tantum esse visibilem; sed duntaxat eam, quatenus visibilis est, definit, eo ipso verò non negat alio respectu Ecclesiam invisibilem dici, ac definiri posse.

VI. Pergit Becanus §. 2. & suam sententiam probat: *Et res certa est. Primò, quia illa Ecclesia necessariò est visibilis, in qua Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare suos subditos, visibiliter docere, hortari, Sacramenta administrare, peccantes corrigere, contumaces ab aliorum communione separare. Et vicissim, ubi subditi*



debent agnoscere suos pastores, eorum monitis obtemperare, instructionem & Sacramenta ab eis percipere. At hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia: Ergo vera Christi Ecclesia necessario visibilis est. Minor patet ex Scriptura. Matth. 18. 17. Dic Ecclesia. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi Ethnicus & Publicanus. Et Act. 20. 28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Et Hebr. 13. 17. Obedite præpositis vestris, & subjacete illis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddaturi. Et alibi.

VII. Argumentum sic rectè in Syllogismum resolvitur: In qua Ecclesia Episcopi & Pastores visibiliter debent gubernare subditos suos, visibiliter docere, hortari, Sacramenta administrare, peccatores corrigere, contumaces ab aliorum communiione separare; & vicissim subditi cognoscere suos pastores, eorum monitis obtemperare, instructionem & Sacramenta ab illis percipere; illa necessario est visibilis: Atqui in vera Ecclesia ista omnia fiunt. Ergo vera Ecclesia necessario est visibilis. Respondemus argumentum committere ignorantem Elenchi; quandoquidem illos duntaxat impugnat, qui Christi Ecclesiam simpliciter invisibilem contendunt, proindeq; ullo modo eam visibilem esse negant. Quod absurdum per calumniam manifestam affingitur Lutheranis Ecclesiis, ut id satis apparet ex Ἰεσέως explicatione.

VIII. Deinde committitur in minore fallacia à dicto secundum quid. Nam *visibilitas* ista, ut hîc à Becano describitur, non est perpetua, & ab Ecclesia inseparabilis, sed tantum temporaria. Nam licet Ecclesia vera & Catholica nunquam deficiat tota: nihilominus externæ & sic visibilis formæ respectu, hoc est, quoad pios, imò quoad ipsum ministerium, proindeq; quoad illos enumeratos actus, ita deficere potest, ut vix ulla ejus appareant vestigia, & si fieri posset, ipsi quoq; Electi in errorem inducantur.

IX. Quocirca durat, durabitq; Ecclesia usq; ad consummationem sæculi, portis inferorum nunquam adversus eam prævalentibus: duratio tamen hæc definienda est cum exceptione-



ceptione vicissitudinis, quoad incrementa & decrementa. Sicut enim Luna (quo simili utitur Augustinus in *Enar. ψ. 10. tom. 8. pag. 71. 72*) ex recessu vel accessu ad Solem vel augetur vel minuitur, aut prorsus Eclipsin sive defectum aliquem patitur: ita Ecclesia prout ad Solem Justitiæ vel propius accedit, vel longius recedit, mutationem persentiscit haud parvam: atq; id non tantum in particulari, sed universali quoq; Ecclesia evenire solet. In veteri Testamento non raro Ecclesia Israelitica floruit, & splenduit instar plenilunii: interdum contra tristem passa est defectum & obscuracionem, ut Eliæ Sacerdotis temporibus, quibus sermo Domini rarus dicitur fuisse, & carus *1. Sam. 3. v. 1.* temporibus quoque impii Regis Achabi, quibus Propheta Elias se solum ex fidelibus superesse putabat, & queritabatur. *1. Reg. 19. v. 18.* ut & temporibus Azariæ Prophetæ, secundum ejus vaticinium, multi dies in Israël transierunt absq; vero Deo, absq; Sacerdote, absq; doctore, absq; lege, *2. Paral. 15. v. 3.* Item illis temporibus, quibus liber legis in populo Israelitico planè fuit amissus, *2. Reg. 22.* & illis temporibus, quibus Christus in carnem venit: ut & illis, quibus Arriana hæresis in Ecclesia, Dei permisso, ita invaluit, ut totum orbem Christianum occupasse videretur.

X. Tertiò committitur quoq; Sophisma *τὸ ἐλλειπὸς διαίρεσις*. Quandoquidem non duntaxat ea, quæ numerantur à Jesuita, ad constitutionem veræ Ecclesiæ requiruntur; quippe quæ in Hypocritas etiam cadunt, imò in ipsos hæreticos: sed requiritur insuper, ut in eodem cœtu sint quoque quidam Electi, adversus quos portæ inferorū prævalere haud queant. Qui verò tales sint, id sanè non est oculis nostris conspicuum; sed soli Deo notum, propterea, quòd vera illa, & ad finem perseverans fides, reliquaq; interna Spiritus sancti dona, quæ ejusmodi Electos perficiunt, oculorum nostrorum *νεῖσσι* dijudicari nequeunt.

XI. Tandem & illud intactum relinquere non possumus; quod contra omnem relatorum naturam, pastores & subditos correlata faciat: quæ verò nihil minus quàm relata sunt: cum:



cum ad se invicem referantur pastores, & oves: Doctores & auditores; Non pastores sive doctores & subditi: & præsertim cum nomine *subditorum* & gubernandi verbo Papani intelligant illum dominatum, quem Christus disertis verbis improbat in Ecclesia Matth. 20. v. 25. 26. *Principes gentium dominantur in eas: & qui magni sunt licentiâ, utuntur in eas: verum non ita est inter vos: sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister; & quicumque voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.* Et Pet. 1. Ep. c. 5. v. 2. & 3. *Pascite gregem, qui penes vos est, curam illis agentes non coactè, sed libenter; neque ut dominantes cleris, sed ut qui sitis exemplaria gregis.*

XII. Secundum argumentum ita proponit Jesuita §. 3. *Secundò, inquit, illa Ecclesia necessariò est visibilis, in qua publicè indicuntur & celebrantur Concilia, sanciantur Canones, dirimuntur controversiæ de fide & religione: Hæc omnia fiunt in vera Christi Ecclesia. Nam Apostoli indixerunt Concilium Hierosolymitanum, in quo hæc constitutio facta est: visum est Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine & suffocato. Act. 15. 28. Et post tempora Apostolorum, celebrata sunt Concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ etiam ab adversariis, tanquam legitima, admittuntur.*

XIII. Respondemus, argumentum hoc ferè coincidere cum præcedente, proindeque eodem modo resolvi ac refutari. Ne autem planè nihil dicamus, addimus: si Becani mēs hæc sit, de necessitate esse, proindeque perpetuum & inseparabile Ecclesiæ veræ adjunctum, ut in ea indicantur & celebrentur Concilia, sanciantur Canones, dirimantur controversiæ de fide & religione &c. negamus illud simpliciter. Quandoquidem hi actus neque necessariò, neque semper in Ecclesia exercentur, ob rationes in præcedentis argumenti solutione allatas.

XIV. Tertium argumentum his à Jesuita proponitur verbis §. 4. *Tertiò Christus in Evangelio comparat Ecclesiam suam saginæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: comparat convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt: comparat de-*  
cem



cem Virginibus, quarum quinq; prudentes sunt, quinq; fatuæ: comparatur ovili, in quo reperiuntur oves & hœdi. Hæc non possunt intelligi, nisi de Ecclesia visibili. Nam adversarii qui agnoscunt duas Ecclesias, unam visibilem, alteram invisibilem; Sic eas inter se distinguunt, quòd in hac soli sint prædestinati, in illa boni & mali permixti. At in Ecclesia, de qua Christus loquitur in suprâ dictis parabolis, sunt boni & mali permixti: Ergo loquitur de Ecclesia visibili, loquitur autem de vera Ecclesia. Vera igitur Ecclesia visibilis est.

XV. Elenchus Becani in ejusmodi resolvitur syllogismum. Quæ Ecclesia comparatur sagenæ missæ in mare, & ex omni piscium genere congreganti: comparatur convivio nuptiali, ad quod boni & mali vocati sunt: comparatur decem virginibus, quorum quinq; prudentes sunt, quinq; fatuæ; comparatur ovili, in quo reperiuntur oves & hœdi; illa est visibilis: Atqui vera Christi Ecclesia illis omnibus comparatur: Ergo vera Christi Ecclesia est visibilis.

XVI. Egregia sanè argumentatio, ejusmodi Sophistis digna! Si enim quærat de fundamento & necessitate consequentiæ Majoris: nulla profecto dari poterit alia, quàm hæc ipsa: Quodcunque comparatur visibili, id ipsum oportet sit visibile. Quod tam verum est, quàm certum Jesuitam esse Lutheranum & orthodoxum Theologum. Deus comparatur igni consumenti. *Deut. 4. v. 24. c. 9. v. 3. Hebr. 12. v. 29. Luci. 1. Job. 1. v. 5. aquilæ, Exod. 29. v. 4. Leoni, Esa 31 v. 4. Spiritus sanctus, aque Es. 44. v. 3. Joel. 2. v. 28. Job. 7. v. 38. 39. Igni, Matth. 3. v. 11. Fides grano sinapi, Matth. 17. v. 19. 20. calamo quassato & lino fumiganti Esa. 42. v. 3. Numquid propterea concludendum, Deum, Spiritum sanctum, fidem esse visibiles, neque posse intelligi, nisi de Deo, de Spiritu sancto, de fide visibili? Credat Judæus Appella!*

XVII. Sciat igitur Jesuita, falsissimum esse Ecclesiam comparari visibilibus respectu ipsorum visibilitatis: Sed primum sagenæ *Matth. 13. v. 47.* non quatenus visibilis est (cum, licet in se sit talis, non tamen semper piscibus sit visibilis, & ab ipsis videatur) sed ratione effecti. Ut enim sagenæ omnia con-

B clusa



clusa trahit: sic in Ecclesia per verbum, & doctores congregantur non tantum sinceri, sed & hypocritæ: qui quidem omnes, ut homines, sunt visibiles, sed invisibiles, ut sinceri, & hypocritæ: si enim hoc respectu visibiles essent, non congregarentur per doctores, sed separarentur: Quia autem invisibiles sunt, & à doctoribus dignosci nequeunt, separatio demum in extrema die à justo Iudice, qui corda ipsa scrutatur, instituetur.

XVIII. Deinde comparat Ecclesiam convivio nuptiali *Matth. 22. v. 2.* rursus non ratione visibilitatis, hoc est, externi splendoris, quem in hoc seculo non habet, ut illo respectu nuptiis dissimilima sit: sed respectu honoris ac majestatis, quæ consistit in conjunctione non visibili, sed spirituali, Christi & Ecclesiæ, ut etiam singularum animarum, quas ille per verbum, lavacrum & spiritum mundat sibi in sponsam dilectissimam: Et sic etiam respectu æterni gaudii, ac jucunditatum, rursus non visibilium, sed adhuc invisibilium, quæ sunt in dextra Dei nostri in seculum. *Psal. 16. v. 11.* proindeque respectu ineffabilis gratiæ Dei, invitantis omnes homines ad summas spiritualesque delicias, idque prorsus gratis: & porro respectu etiam ingratitude hominum, qui toties invitati venire recusant. Quandoquidem in eum finem hæc à Christo proponitur parabola, ut exprobraret potissimum Israëlitis (tamen si & omnibus gentibus) summam ingratitude, quod ad cæleste convivium gratiæ Dei recusant venire, tam benignè totiesque invitati: simulque indicet, Deum nihilominus non desinere quosvis indignissimos cogere in regnum cælorum: & sic manifestum sit summum studium Dei in servandis miseris mortalibus, & contra stupenda hominum ingratitude, iusta Judæorum rejectio, benignaque gentilium vocatio. Quid hæc commercii habent cum visibilitate Ecclesiæ? cum omnia ista rectè de Ecclesia dici & considerari possunt, licet nullus omnino habeatur respectus ad visibilitatem: quod omnia sint spiritualia: quæ potius, ut talia, invisibilia, quam visibilia sunt.

XIX. Idem iudicium esto de comparatione Ecclesiæ cum virginibus & ovibus. De prioribus adhuc breviter. Comparatur



ratur Ecclesia virginibus istis non quatenus visibiles sunt homines, vel quatenus ea, quæ agunt vel tractant, sunt visibilia, & in sensus incurrentia; sed quatenus suis visibilibus speciebus & actionibus invisibilia & spiritualia repræsentant. Agitur enim in parabola ista prima de sponso cœlesti, sanè invisibili, qui hominibus maximè dormientibus, & sic neque videntibus, neque eum expetentibus, abducit, nempe internâ agitatione Spiritus invisibili (nam, licet prædicatio verbi externa cadat in sensus; interna tamen tractio & abductio invisibilis est, & in sensus non cadit) sponsam ad patrem cœlestem, invisibilem. Deinde lampas præluens, est lucerna verbi, 2. Petr. 1. in se continens lumen planè invisibile, nempe spirituale, quod fide invisibili, quæ est unctio Spiritus sancti, apprehenditur. Tertio per oleum intelligit *Macarius homil. 4.* Spiritum sanctum, & ipsum invisibilem, qui sanè per verbum & gignit & alit in nobis fidem. Et Hilarius ait: *Vera & expectans Deum, fides non ambigue spei meritum consequitur.* Lampades adornantur affuso oleo, productoq; & emuncto lychao. Manifestum igitur est, quot hinc adferuntur corporea, & visibilia signa, tot indicantur & repræsentantur spiritualia & invisibilia significata.

XX. Circa parabolam hanc probè notandum venit, si qua Ecclesia cum virginibus fatuis unquam rectè comparari potuit; profectò nulla unquam melius aut rectius, quàm Pontificia, ut talis: Quippe quæ lucernam verbi Dei non habet, sed ejus loco anilia somnia, fallaces interpretationes, & humanas traditiones. Fidem quoque non habet, veram illam Spiritus sancti unctioem; sed perpetuam dubitationem, quæ simul cum vera fide esse nequit. Spiritum sanctum, nempe oleum illud lætitiæ, non habet. Ubi enim Dei verbum non est, ibi neque Spiritus Dei, nempe carens suo vehiculo. Et (ut rectè & scitè concludit Dn. Meyfartus) non hoc ipso solùm fatui sunt ac stolidi Pontificii, sed &, quando, ut in infernum descendat, miserè se flagellando, pungendo, lacerando, & execrando cum Baalitis *1. Reg. 19. v. 27.* desudant, insanorum more discursitant,

inobis

B 2

contra



contra Diabolum fumo, cerâ & similibus nugis, ut alia silentio involvam, pugnant. Maxima hæc est fatuitas: Eccur Diabolus, qui spiritus est fumo fugetur? cur, qui tam potens est *Hiob. 41.v.18.* ut ferrum non metuat, à minima ceræ particula, exiguo officulo, putrefacto que ligno sibi metuat. Malè vapulabit Becanus, si his modò armis suum adiit purgatorium.

XXI. Tandem & illud intactum prætere non debeo, quòd Becanus Lutheranos accusat, quasi duplicem faciant Ecclesiam, quando illam distinguunt diversis respectibus in visibilem & invisibilem. Id autem falsissimum esse, & manifestam calumniam Jesuiticam, ad oculum & omnes sensus demonstratur in tractatione theses. Et recte docet hac de re Doct. Huttrerus de Essentia Ecclesiæ cap. i. Militans Ecclesia utriusque Testamenti, inquit, rursus dispescitur in Ecclesiam visibilem & invisibilem, sive internam & externam. Quæ tamen distinctio non sumitur, vel à diversitate aliqua naturali subjectorum, vel quacunque alia naturali proprietate aut discrimine: sed tantum à *κρίσει* sive notitiâ, quæ de visibili & invisibili Ecclesia partim fit externo oculorum iudicio, partim invisibili, sive interno, fidei *κρίσει*. Verbi causa Electi constituunt Ecclesiam & invisibilem & visibilem, sed diverso respectu. Invisibilem, quatenus tum vera ipsorum fides in se est invisibilis, & nullius hominis oculis, sed solius Dei, scrutatoris cordium, oculis est cognita & perspecta: tum quatenus iidem Electi non nobis, sed soli Deo sunt cogniti. Rursus iidem Electi visibilem constituunt Ecclesiam, quatenus in externo atque visibili vocatorum cœtu versantur, atque externo & aspectabili verbi & Sacramentorum ministerio utuntur: quatenus denique Electi non sunt invisibiles spiritus, dum in his terris degunt; sed ut homines, ut vocati, ut Sacramentis inaugurati ab omnibus visantur.

XXII. Ex quibus satis constat, quòd, licet Ecclesiam, diverso respectu distinguamus in visibilem & invisibilem, nõ tamen propterea faciamus vel duas species, vel duas partes Ecclesiarum, & sic duas Ecclesias distinctas & separatas: sed unam eandem-



eandemq; Ecclesiam diversimode, propter rationes, quæ ipsi competunt, diversas, cōsideremus. Si ejusmodi distinctio statim multiplicat rem, potius ex sententia Pontificiorum Ecclesia non tantum erit duplex, sed triplex, quando illam dividunt in *Virtualem, Representativam, & Visibilem*: virtualesque vocant sanctorum Angelorum, & beatorum cœlitum Ecclesiam: Representativam nominant Pontificem Romanum, & reliquam Episcoporum atq; Cardinalium rasam & unctam, colluviem: visibilem denique appellitant reliquum Christianorum, quos illi Laicos indigitant, cœtum sive multitudinem.

XXIII. Quo sanè modo revera Ecclesia multiplicatur, siquidem distinctio ista non sumitur ab ejusdem subjecti diversa consideratione, ut nostra ab eadem multitudine, sive cœtu diversimode considerato: sed à diversis subjectis realiter distinctis, non subordinatis, neque se invicem continentibus. Nam virtualis Ecclesiæ subjecta, nempe Angeli toto genere distinguuntur à subjectis humanis, ex quibus militans Ecclesia hisce in terris colligitur. Sic aliud subjectum est apud Pontificios cœtus Clericorum, & aliud cœtus Laicorum. Quæ autem subjectis diversa sunt, non tantum rationibus & respectibus diversis distinguuntur, sed re ipsa, & si non specie, tamen essentiâ numericâ separantur, ac diversa sunt.

XXIV. Quartum argumentum Becani hoc modo & ipsis verbis proponitur & formatur §. 5. *Idem à Propheta prædictum est Psal. 18. v. 6. In sole posuit tabernaculum suum, id est, ut ibidem explicat Augustinus, In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto. Et Epist. 166. ad Donatistas: Ipsa est Ecclesia in sole posita, id est, in manifestatione omnibus nota usq; ad terminos terræ. Eadem spectat illud Christi, Matth. 5. 15. Non potest civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Ubi per civitatem, quæ abscondi non potest, & per lucernam, quæ omnibus lucet, intelligitur Ecclesia Christi. Unde idem Augustinus in libr. de Unitate Ecclesiæ cap. 16. Non est, inquit, operta Ecclesia, quia*



non est sub modio, sed supra candelabrum. Et de illa dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita. Sed Donatistis velut operata est, qui audiunt tam lucida & manifesta testimonia, quae illam toto orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere. Et Epist. 170. ad Severinum: Facile tibi est attendere, & videre civitatem supra montem constitutam.

XXV. Distincta sunt argumenta, ideoque seorsim resolvenda, & examinanda. Primum est: Omne tabernaculum in Sole positum est visibile: Ecclesia est tabernaculum in Sole positum: Ergo Ecclesia est visibilis. Respondemus primum laborare argumentum ignoratione Elenchi, & contra nos nihil concludere. Nam etiam si certo respectu Ecclesiam dicamus invisibilem: non tamen negamus ipsam esse visibilem. Deinde laborat rursus fallaciâ phraseos. Nam affixum & relativum *Eorum*, quod versu quarto hujus Psalmi continetur, & ter repetitur, certissimo est argumento versus præcedentes de Apostolis intelligendos esse: id quod hoc evincitur Syllogismo: Qui metaphoricè dicuntur *Psalm. 19. v. 1.* cœli & firmamentum, illorum quoque sonus dicitur eodem *Psalmo v. 4.* exivisse in universam terram: At teste Paulo *Roman. 10. v. 18.* Apostoli dicuntur *Psalm. 19. v. 1.* Metaphoricè cœlum & firmamentum: Ergo Apostolorum sonus *Psalm. 19. v. 4.* dicitur exivisse in universam terram. Major constat jam adducta ratione sumra ab affixo & relativo *Eorum*. Minor est ipsa Apostoli Pauli loco allegato interpretatio iniquentis *v. 18.* *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.*

XXVI. Ut autem in describendis Apostolorum personis Spiritus sanctus usus est Metaphora *cœlorum*, sic eandem Metaphoram adhibet in describendo illo, quod Evangelii doctrina continet. Ut ergo nobilissimum corpus, quod materialibus cœlis continetur, est Sol: ita Deus non quidem in Sole posuit tabernaculum suum, ut allegat Psalmum Becanus, sed in Ecclesiastico & Apostolico cœlo posuit tabernaculum

Solis



Soli, qui est Christus, Sol Justitiæ nominatus à *Malach. cap. 4.* habetq; tabernaculum in Apostolis triplici ratione. Primum quia revera in ipsorum cordibus habitat, juxta promissionem *Johan. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Deinde ut cœlestes Sphæræ sunt quasi vehiculum Solis: ita quoque ministerium Apostolorum est spiritualis ille currus apud *Ezechielem cap. 1.* descriptus, quo vera Christi notitia per totum terrarum orbem vectatur. Tertio etiam effectivè Christi tabernaculum est in Apostolis & ipsorum ministerio: sunt enim spirituales Architec̃ti, qui ex cordibus hominum templa Dei efformant, & ædificium Ecclesiæ constituunt.

XXVII. Constat igitur, quòd rursus Becanus phrasi decipiatur. Nam in Hebræo non est: *In Sole posuit tabernaculum suum: sed Soli posuit tabernaculum in eis, id est, in cœlis,* hoc est, ut exposuimus, *in Apostolis.* Error hic & fallacia oritur ex versione Græca, quæ constructionem sic invertit: *ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκηνώμα αὐτῆς.* Quæ etiam decepti sunt Hieronymus, Hugo & alii, ut verba illa ad Mariam virginem detorquerent. Exponunt enim Mariam virginem esse Solem, in quo Christus habitet, novem mensibus utero beatæ virginis gestatus. Verùm interpretatio hæc, ut diximus, est aliena à fontibus: unde etiam haud dubiè Manichæi impiam suam opinionem sumpserunt de Christo, ut dixerint, Christum ascensione suâ in cœlos corpus suum lucido solis globo intulisse, ibique etiamnum hætere. Imò & Augustinus perversâ illâ paraphrasi seductus videtur: quare ejus autoritas contra nos nihil efficiet. Plus enim fontibus Hebræis, quàm Augustini, Hebræa non intelligentis, explicationi est credendum.

XXVIII. Ex quibus simul liquet, vaticinium hoc non loqui de universa Ecclesia omnium temporum; sed tantum de statu Ecclesiæ tempore illo primo, quo Apostoli juxta mandatum Christi exiverunt in universum mundum, & prædicarunt Evangelium, ut Petrus Hierosolymis quidem primùm, deinde Galatiæ & Bithyniæ, nec non Asiæ superiori, Cappadociæ, & Ita-



& Italiae cunctae. Johannes autem in Asia annis pluribus. Andreas progressus est tandem ad oras, quae sunt ad Euxinum, Scythiam universam, Byzantium, Macedoniam & Graeciam. Thomas Parthis, Indis & Insulae Taprobanae Evangelium promulgavit. Sic enim de divisione Apostolica scribit *Niceph. lib. 2. cap. 1.* consentit *Ruffinus lib. 1. Eccles. hist. cap. 9.* Et Paulus gentium Doctor *Rom. 15. 19.* testatur ipse, se omnes terras Evangelio replevisse ab Hierosolymis & vicinis undequaque regionibus usque ad Illyricum, & nullum sibi amplius locum restare, ubi non sit vel ab aliis, vel à seipso Evangelium annunciatum.

XXIX. Quae cum ita sint, malè illa Psalmi verba ad universam Ecclesiam detorquentur: cum tantum loquantur de Praedicatione illa Evangelii prima, ab Apostolis instituta. Deinde malè fit argumentatio supposito dicto Scripturae, versione depravato. Tertio, verba allegorica non sunt argumentativa, & nondum probatum est allegoriam illam significari, Ecclesiam omnibus temporibus notam debere esse in omnibus terrae partibus & angulis: Imo falsum illud esse probavimus supra, quando evidentissimis argumentis quadruplicem Ecclesiae faciem demonstravimus.

XXX. Alterum argumentum ita rectè formatur: Quae Ecclesia est instar civitatis super montem positae, & lucernae omnibus lucentis; illa necessario est visibilis: Atqui vera Ecclesia est instar civitatis super montem positae, & lucernae omnibus lucentis: Ergo vera Ecclesia necessario est visibilis. Majorem ponit sine probatione; cum tamen simpliciter & semper altera ejus pars vera non sit, nempe civitatem super montem positam esse visibilem: quamvis stabilis esse queat. Et si vel maxime per se visibilis sit, nebulis tamen quandoque involvitur: quod aequè Ecclesiae usu quit venire, ut & aspectabilitas ejus subtrahatur. Sit quoque Ecclesia instar lucernae lucentis aliquandiu omnibus in domo ratione ministerii publici, praedicationis verbi & administrationis Sacramentorum: ut autem in tenebras abit lucerna deficiente nutrimento: ita Ecclesia verbo deficiente, populisq; deficientibus & decidentibus saepius se ex aspectu proripit.



**XXXI.** Minor fundatur in dicto Christi *Matth. 5. v. 15.* Verum neq; eo loci agit Christus de Ecclesia, sed de Apostolis. Sensus enim verborum illorū, ut rectè illa interpretatur Doct. Hunnius, hic est: Quemadmodum oppidum, in loco excelso & prælustri situm, adeò se abscondi haud finit, ut eminens in oculos viatorum non incurrat. Et ut lucerna non eo consilio accenditur, ut subter modium reponatur, (qua ratione nullus ejus esset usus) sed potiùs ut ad illam, supra candelabrum positā, operas suas domestici perficiant: sic etiā Apostolos, in sublimi officio, velut excelso loco & clara luce, esse positos, non ut absconditi lateāt otiosi, Deo & hominibus infrugiferi, sed potiùs ut doctrina salutari vitaq; sancta & inculpatā quandam faciem atq; lucem præferant cæteris hominibus, ad cujus imitationem suas actiones conforment & instituant. Ideoq; infert: sic luceat lux vestra eorum hominibus. Quasi dicat: ad canonem doctrinæ, quam proponetis mundo, vitam vestram sic exigite, sic conformate, ut, cum viderint homines vos factis ad vivum exprimere, quod docetis alios, hinc Dei nomen in vobis glorificent, & ad castissimum amorem bonorum operum, exempli vestri puchritudine inflammentur.

**XXXII.** Quæ explicatio Hunniana, ut textui per omnia consentanea est, imò illi ex affe respondet: sic oculariter evincit ac demōstrat, locum illum non loqui de Ecclesia, quòd sit posita in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ: sed de officio discipulis concredito, ac uti istā similitudine Christum, ut ad rectè fideliterque obeundum illis calcar addat. Nihil ergo ad rem. Neq; Augustini autoritas vero ac genuino scripturæ textui potest præferri. Aliàs ipsi concedere possumus asserenti, *civitatem super montem positam, significare Ecclesiam supra Christum fundatam.*

**XXXIII.** Pergit Becanus ad quintum argumentum. §. 6. *Quintò inquit, idem cēstat ex Symbolo fidei, ubi sic dicimus: credo Sanctam Ecclesiam Catholicam. Quòd de visibili Ecclesia intelligendam esse non solum docent Catholici, sed etiam multi ex Adversariis, præsertim Calvinus lib. 4. c. 1. §. 2. Melanch: bon loco supra citato.*

C

Itaq;



Itaq; dari Ecclesiam visibilem, est articulus fidei secundum adversarios. Et rectè. Nam licet externis oculis videamus multitudinem eorum hominum, ex quibus conflatà est Ecclesia visibilis; tamen quòd in ea multitudine sit vera doctrina Christi & Apostolorum, hoc non videmus, sed credimus. Unde visibilis Ecclesia partim cadit sub externos oculos; partim sub internam fidem. Externis oculis videmus homines, qui in Ecclesia sunt: Internà fide credimus veram Christi doctrinam apud eos tradi & conservari. Hinc solvitur vulgare illud sophisma. Quòd fide credimus, non est visibile: Ecclesiam fide credimus: Ergo Ecclesia non est visibilis. Nam Major propositio sic debet intelligi: Quòd fide credimus, non est visibile, ex ea parte: quà sub fidem cadit: Tametsi potest esse visibile ex alia parte, quà sub fidem non cadit. Hujus rei varia extant exempla. Apostoli in Christo videbant humanitatem; credebant divinitatem. In Baptismo videmus externam aquam & abluitionem; credimus internam vim regenerandi, & peccata abluendi. In Codice Bibliorum videmus chartam, scripturam, codicem ipsum: credimus, quòd in eo continetur, esse verbum Dei. Idè dico de Ecclesia, est aliquid in ea, quòd credimus; est aliquid, quòd videmus. Credimus veram esse doctrinam, quæ in Ecclesia traditur: Videmus homines, externos ritus, & Sacramèta, quæ in Ecclesia sunt.

XXXIV. Initiò esse veram Ecclesiam, & aliquam usque ad finem hujus seculi mansuram, articulum fidei esse, non imus inficias, quin potiùs credere Ecclesiam ad eò necessarium esse asserimus, ut nisi hæc fidei pars firma sit, collabascet tota. Per Verbum sanè divinum, Dei Essentiam & voluntatem parrefaciens, colligitur Ecclesia; ideoq; traditum est hoc ipsum, ut effectum hunc præstet principalem. Si ergo Ecclesia non fuerit, verbum Dei, defecisse oportuit: sic Dominus Jerem. 31. ex defectu sui verbi Ecclesiæ cessationem colligit: *Si defecerint leges istæ coram me, tum & semen Israël deficiet.* At æternum est verbum Dei, atq; in hoc mundo prædicandum usq; ad consummationem seculi, *Luc. 21. v. 33. 1. Cor. 11. v. 26. Marc. 6.* nunquam ergo non est credenda in mundo, cum propter Electos etiã contrahantur dies, *Matt. 24. v. 22.* Et quid spei esset credenti verbo, Ecclesiam verò desperanti? Qui enim totum destruit, is de salvandis



vandis partibus, non nisi in falvis, temerè præsumit. Manifestum igitur, quòd hic articulus fidei maximè sit necessarius: simulq; inde intelligitur, quid damni inferat corruptus.

XXXV. Verùm vel Calvinum vel Philippum docere Ecclesiam, quatenus visibilis est, credendam esse, verba sunt Jesuitæ. Sic enim loco allegato Calvinus: *In Symbolo*, inquit, *ubi profite-mur nos credere Ecclesiam, id non solum ad visibilem, de qua nunc a-gimus, refertur, sed ad omnes quoq; electos Dei, in quorum numero cõ-prehenduntur etiam, qui morte defuncti sunt. Ideo & credendi verbũ ponitur: quia nullum sapius discrimen inter filios Dei, & prophanos, inter proprium ejus gregem, & fera animalia notari potest.* Mens ergo Calvini est longè alia, atq; ut à Becano allegatur, nẽpe *Credendi verbum propriè adhiberi propter Ecclesiam invisibilem; quòd sapius nullum verum appareat discrimen inter fideles & infideles.* Deinde Ecclesiam quidem, ut illa visibilis est, à se definiiri dicit allegato loco Philippus, sed illam, ut visibilis est, credi, id non dicit: sed expressè docet, licet subjecta sint visibilia; id tamen, quod creditur, visibile non esse: *Concedo*, inquit, *articulos fidei, scilicet propositiones, non esse visibiles, sed ut est usitata phrasis. Complexum non est visibile, tamen subjecta in multis propositionibus visibilia esse, necesse est.* Deinde satis se explicat Philippus & in *Examine*, & in *Locis*, se tantùm agere de Ecclesia, ut visibilis: eo autem non negat Ecclesiam quoq; visibilem esse. Imò in *Locis* eam tanquam invisibilem circumscribit. Nam in loco 12. qui de Ecclesia est, etsi aliquoties repetat, Ecclesiam esse visibilem, tamen ibidem dicit, in controversiis sequendũ esse verbum Dei juxta confessionem veræ Ecclesiæ: Hanc verò veram Ecclesiam negat esse Pontifices & Sacerdotes, aut majorem partem concilii: contrà verò affirmat esse quosdam pios & electos, à Deo illuminatos. Additq; ibidem, tempore Eliæ Ecclesiam veram fuisse Eliam, Heliseum, & paucos alios illis adhærentes, non autem cæteram Judæorum multitudinem. Et tempore Christi Ecclesiam fuisse Zachariam, Simeonem, Mariam, Pastores, quia nimirum pii erant.

XXXVII. Et sanè nos per illud, quòd credamus Ecclesiã,

Q 2

nega-



negare Ecclesiam invisibilem, & probare Ecclesiam visibilem, adeò falsum est, ut potius medio hoc probemus Ecclesiam invisibilem esse. Sic enim Lutherus in libro de abroganda Missa privata parte I. *Quis, inquit, Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu & fide, & solùm creditur? sicut dicitur: Credo Ecclesiam sanctam.* Et Brentius in Prolegomenis: *Vide, inquit, quòd faciat (Petrus à Soto) Ecclesiam visibilem, & sensibus corporis perspectam. delendus igitur erit ille articulus Symboli Apostolici: Credo Ecclesiam sanctam Catholicam, & erit sic reponendus: video & sentio Ecclesiam sanctam Catholicam.* Et Dn. Doct. Hutterus in suis LL. CC. cap. I. de natura & essentia Ecclesiae, mihi pag. 514. 6. *Alterũ, inquit, confirmationis argumentum inde petimus, quòd in Symbolo Apostolico profiteamur, nos credere Ecclesiam Catholicam: Atqui fides est rerum, quae non videntur. Hebr. 11. v. 1. Ergo si Catholica Electorum Ecclesia esset visibilis, nõ certè crederetur, sed videretur. Et sane (addit) hujus etiam argumenti tanta est vis, ut Jesuitae illud refutaturò hanc vel inscio, vel certè invito confessionem extorserit: Sãctitatem Ecclesia dico sine dubio invisibilem esse. Sed melius dico, in Ecclesia aliquid videri, & aliquid credi. Videmus enim eum cœtum hominum, qui est Ecclesia, sed quòd ille cœtus sit ipsa vera Christi Ecclesia, non videmus, sed credimus. Quam (concludit) Bellarmini confessionem nos utraq; manu arripimus, & ultro largimur Ecclesiam veram sanctam, catholicam esse visibilem, & esse invisibilem & c. Videatur ipse Hutterus. Imò illud non nescit Becanus, quando argumentum hoc vulgare vocat sophisma §. 7.*

XXXVII. Imitatur Bellarminum hoc loco Becanus, & evidentia quoq; rei ac veritatis in conscientia convictus, idẽ nobiscum dicere & docere cogitur, diserteq; probare, Ecclesiam diverso respectu & visibilem & invisibilem esse. Hæc doctrina, & non alia, nostra est. Quandoquidem Lutherani ex nullo alio principio contendimus, Ecclesiam Christi partim visibilem, partim invisibilem esse, quàm quòd in Ecclesia eadem reperiantur quaedam sub aspectum eadentia, quaedam verò, quæ in oculos nostros non incurrunt, & tantùm in intimo corde latitant, de quibus nemo nisi scrutator cordium Christus rectè potest judicare.



XXXVIII. Quæ verò cum ita sint, vel ipsis Jesuitis, Bel-  
larmino & Becano, fatentibus, intelligitur, insulsum hūc age-  
re sophistam, quando argumentum nostrum pro invisibilitate  
Ecclesiæ ex Symbolo Apostolico, in quo confitemur nos credere  
Ecclesiā, petiit, sophismatis accusat. Quando quidem & illud  
nullo alio modo ac respectu intellectum volumus, quàm ut à  
Becano ipso explicatur & limitatur. Interim negari nō potest,  
quòd Ecclesia, ut est vera & catholica, sit cœtus Electorum: E-  
lecti autem licet sint in cœtu visibili, & quatenus sunt homi-  
nes, sint visibiles; tamen quatenus Electi, sunt invisibiles: Ergo  
etiam Ecclesia Electorum, quatenus taliū, est invisibilis. Quod  
quia Becanus concedit; cur ergo Lutheranos oppugnat, quos  
in hoc puncto adversarios non habet?

XXXIX. Probat porrò Becanus §. 8. & 9. visibilitatem  
Ecclesiæ consensu Patrum: *Accedit consensus Patrum, inquit, om-  
nes, qui de hac re ex professo scribunt, Ecclesiam visibilem esse affir-  
mant. Augustinus (ut omittā testimonia ipsius supra citata) Epist. 166.  
ad Donatistas sic habet: In Scripturis didicimus Christum: in scriptu-  
ris didicimus Ecclesiam. Hās scripturas communiter habemus: quare  
non in eis Christum & Ecclesiam communiter retinemus? Et post mul-  
ta: Ecce scriptura communes: Ecce, ubi novimus Christū; ibi novimus  
Ecclesiam Si Christum ipsum tenetis, ipsam Ecclesiam quare non tene-  
tis? Si in ipsum Christum quē legitis & non videtis; tamen propter scri-  
pturarum veritatem creditis, quare Ecclesiam negatis, quam & legitis  
& videtis? Et ne longus sim in enumerandis aliis Patribus; omnes illi  
supponūt, Ecclesiam esse visibilem; qui recensent ordine successores Pe-  
tri, in gubernatione Ecclesiæ; Ut Irenæus, Optatus, Augustinus, Epipha-  
nius, & Eusebius Casariensis, omnes idem, qui fatentur ex Evangelio  
bonos & malos in Ecclesia permixtos esse: Qui agnoscunt potestatem  
solvendi, ligandi, excommunicandi, quæ, nisi in Ecclesia visibili, exerce-  
ri non potest. Deniq;, qui asserunt, Ecclesiam sine predicatione Evan-  
gelij & Sacramentorum administratione consistere non posse. Nec putō  
quengquam esse, qui hæc neget, si intelligat.*

XI. Frustrā contra Lutheranos, imò etiam Calvinistas  
instituitur probatio ejus, quod nunquam negatū est. Novimus  
O 3 illa.



illa Patrum testimonia, & adhuc longè plura adducere possemus. sed cui bono? cum totius Ecclesiae Lutheranae, & primitivae constantissimus sit consensus, Ecclesiam esse coetum visibilem. Quando autem Patres nobiscum ita statuunt, & magno consensu & constantia docent; non tamen propterea contra nos asserunt Ecclesiam simpliciter, & secundum omnes prorsus circumstantias esse visibilem: uti etiam vel ipsimet Jesuitae, & Becanus id affirmare non audent. Nihil ergo ad rem. Quae de successione Petri admiscet adversarius, reservamus suo loco.

XLI. Pergit Becanus §. 10. & primam suam quaestionem concludit his ipsis verbis: *Conabor tamen clarius explicare. Ac primum quero, An Respublica Veneta, vel civitas Viennensis in Austria sit visibilis, nec ne? Omnes opinor, visibilem esse concedent. At eadem est ratio de Ecclesia. Quod sic ostendo. Tria spectari possunt in Ecclesia. 1. Multitudo, seu collectio horum hominum, qui sunt in Ecclesia. 2. Externum regimen, quo Praelati Ecclesiae gubernant suos subditos, docendo, hortando, iudicando, puniendo, Sacramenta administrando. 3. Interna fides & charitas, quae inter se uniuntur. Eadem spectari possunt in Repub. Veneta, vel civitate Viennensi. 1. Multitudo seu collectio eorum hominum, qui in Repub. vel in civitate sunt. 2. Externum regimen, quo Magistratus Politicus gubernat suos subditos. 3. Interna affectio, quae inter se uniuntur. Duo priora, tam in Ecclesia, quam in Repub. vel civitate sunt visibilia. Tertium utrobique est invisibile, sicut enim externis oculis non possum videre, an Christiani, qui in Ecclesia sunt, habeant internam fidem & charitatem; sed propter externam fidei professionem id credo: Sic etiam res habet in Rep. vel civitate. Video cives, qui in ea sunt; video externum politiam & gubernationem; sed non video internam affectum, quem quisque habet, aut habere debet. Si ergo eo non obstante nihilominus civitas, vel Resp. verè dicitur esse visibilis; cur idem de Ecclesia dici non possit? Nihil certius. Hinc facile diluuntur cavillationes, quae objici solent. Non ponam, quia necesse non est.*

XLII. Duo facit in hoc discursu Jesuita: primum ponit duo similia rem declarantia; secundò praeterit simulatas cavillationes. Pro primo, tanquam egregiè nobis praestito officio,  
ipfi



ipsi agimus maximus gratias, quippe quo rectè & verè explica-  
tur, & illustratur Lutheranorum de visibilitate & invisibilita-  
te Ecclesiæ sententia. Id enim, quod similitudinibus illis illu-  
stratur & confirmatur, & aliud nihil volumus, docemus, in-  
culcamus, & contra omnes Inferorū portas defendimus. Quid  
ergo contra nos disputat Sophista? cur accusat; cur damnat,  
quod probat? Larvas sibi fingit & pingit, quibus dicam scribat  
& contradicat.

XLVII. Alterum planè sophisticum & nugatorium  
est. Quæ enim, Becane, sunt illæ cavillationes, quæ con-  
tra illam, ut à te explicata est, sententiam à nostris objici so-  
lent? Adducatur una. Sanè nihil denegasses, si habuisses. Quo-  
modo verò habere potuisses, quod nunquam in rerum natura  
fuit? Dicam verbo: intelligis tandem, quæ à nobis pro invisibi-  
litate Ecclesiæ adduci solent fundamenta, à te concessa, proba-  
ta, confirmata & illustrata esse: nec posse illa rursus sine pesti-  
ma ac turpissima contradictione negari; quocirca, ut adhuc  
videaris nobiscum non facere, sed nostram sententiam impu-  
gnare, simulas tacenda ea, quæ nunquam audivisti, nunquam  
vidisti, nunquam legisti. Quid autem est sophisticè &  
malitiosè agere, si hoc  
non est?

**SOLI DEO SIT LAUS ET GLORIA.**







Præst. Dn. Respondenti.

**C**OEtus cernatur? Romanus nempe nigellus,  
Doctrinae fucô, quem Lutherane cave!  
Cernitur haud propriè Christi collectio:  
magno

JACOBO verum dogma Tibiq; fiet.

f.

M. Nicolaus Zapfius,  
Phil. Fac. Adjunctus.

---

**A**ude aliquid; namq; audendum est, si ferre brabeum  
Discupas. Ausus adjuvat ipse Deus.  
Et quia paralibi vel major gloria nusquam  
Hâc, quam sacra parant, tela vibrata manu.  
Ne cesses hosti fortem te opponere forti;  
Sed gladio verbi vimq; minasque fuga.  
Fretus Perclari doctrinâ Praesidis, urge  
Propositum; dignus teq; manebit honor.

Suo sympat. f. dil. amicit. e. app.

M. Christophorus Strauß/  
SS. Theol. Stud.

F I N I S.



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092



SB

Repro

VD 77











TERTII  
Confessionem

NO XV.  
ens  
TICVLI VII.  
ÆSTIONE  
ota.

aChristi,  
em vocamus,

onspicua,  
ita  
ia V Vittebergenli,  
I D E

RTINI S.S. Th.  
mario, Facult. Theol.  
Arcis Præposito,

DENTE  
CIO Magdeburgensi.  
llegii Veteris  
Julii.

ER G Æ,  
AUERBACH, Acad. Typogr.  
OC XXX.